



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCXXIV. Antwort des Papstes Johann XXII. an den Fürsten Heinrich von
Mecklenburg auf dessen Bitte, ihn mit der Mark Brandenburg zu belehnen,
vom 20. Februar 1325.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

consonum rationi. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Actum et Datum worthingburch, anno incarnationis domini M^o. CCC^o. XXIII^{to}. die beati Johannis apostoli et Ewangeliste.

Nach dem Copialbuche des Geh. Kab. Archives I, C. 4, in quarto Bl. 45. Sehr fehlerhaft abgedruckt in Gerdens Codex dipl. Brandb. I, 222 — 224.

DCXXIV. Antwort des Papstes Johann XXII. an den Fürsten Heinrich von Meissenburg auf dessen Bitte, ihn mit der Mark Brandenburg zu belehnen, vom 20. Februar 1325.

Johannes XXII. Dilecto filio nobili Viro henrico, Magnopolensis, Stargardie et Rostok domino. Tue nobilitatis litteris, missis nobis per dilectum filium hellebertum de Wisbek, canonicum Zuerinensem, sub uerbo delegate credentie, solita benig-
nitate receptis, habuit uerbali eius assertio, nichilominus et in scriptis pro parte tua nobis oblata petitio effectualiter continebat, ut cum magnam partem Marchionatus Brandenburgensis obtineas, tam ex infeudatione uenerabilis fratris nostri, quam nonnullorum nobilium ac Uniuersitatum quarumdam Ciuitatum seu locorum Marchionatus eiusdem, qui te ad ipsorum defensionem, ut asseris, euocarunt, ut ex hoc factus de potente potentior ad obuiandum et resistendum Ludouici, Ducis Bauaurie, iniuriis illicitisque conatibus, tanquam deuotus eiusdem Ecclesie filius te disponas, Marchionatum ipsum tibi et successoribus tuis infeudare atque concedere de auctoritate et benignitate Sedis apostolice dignaremur. Sane quamuis, prout ex tue generositatis ac probitatis deuotione subponimus nobis insinuata, perseueranter illa perducere cupias in effectum, super quibus nobilitatem tuam multipliciter in Domino commendamus, tamen cum nobis non constet, quid et qualiter obtineas in marchionatu predicto, et an hec procedant de beneplacito prefati archiepiscopi, et aliorum nostrorum et eiusdem sancte Romane Ecclesie deuotorum, a quibus obtineas supradicta, ad presentem nequimus, certitudinis maturitate seruata dicte Sedis in talibus, bono modo concedere, quod petisti; sed si cures de premissis certos nos reddere, nos per consequens super hoc, tantum auctore Domino faciemus, quod quantum nobis cum Deo licuerit inde merito poteris contentari. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus in hijs, que honorem nostrum ac fauorem dicte Sedis ac eiusdem sancte Romane Ecclesie sapiunt, sic ut speramus te dirigas de bono semper in melius et conformes, quod in predictis et alijs beneuolentiam nostram et Sedis eiusdem operis et perseuerantie meritis probabiliter merearis. Et quoniam de processibus nostris contra prefatum Ludouicum habitis, sicut Nuncius tuus prefatus nobis exposuit, certior effici cupiebas, ecce quod processum nouissimum, in quo resumuntur generaliter precedentes, per eundem Nuncium tue Magnitudini prouidimus destinandum, quem publicari et obseruari procure, ubi uideris expedire. Datum auinione, X. Kalendas Martij, anno Nono.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ex regesto litterarum secretarum Joann. XXII. Anni. IX. Ep. 363. p. 46. T. V.